

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken


Joannis Ulrici L.B. De Cramer, Cameræ Imperialis Assessoris, Observationum Juris Universi Ex Praxi Recentiori Supremorum Imperii Tribunalium Haustarum

Adeoque Non Solum Iis, Qui In Eadem Consulendo, Advocando,
Procurando, Vel Judicando, Sed Et Aliis, Qui in Praxi Judiciorum Germaniæ
Inferiorum Versantur, Imo Et Doctoribus Ac Professoribus, Qui In
Academiis Jurisprudentiæ Universæ Pragmaticæ Excolendæ Et Tradendæ
Operam Navant, Perutilium

**Cramer, Johann Ulrich von
Darmstadii, MDCCLXC**

Farbkarte

urn:nbn:de:gbv:45:1-11420





OBSERVATIO DLXXIII.

De Advocatia Majestatica.

§. 1.

Notum est Advocatias varii esse generis ac originis, & Advocatorum vocabulum esse maxime πολύσημον.

In genere Advocatia vulgo describitur, quod sit Jus, clientes fiduciaros contra vim majorem & violentiam aliorum protegendi. Et Advocatus proprie est Defensor & Protector (a).

Variis autem cognominibus præditi erant ejusmodi Advocati. Sic notæ sunt denominationes, Landvoigt, Burgvoigt, Stadtvoigt, Amtsvoigt, Castenvoigt, & id genus centum alia, quorum amplum Catalogum exhibet RECHENBERG (b).

Nos missis reliquis Advocatorum speciebus, saltem hic de Advocatis & Advocatiis Monasticis, qui vulgo Castenvoigte und Castenvoigttheyen audiunt, solliciti erimus.

§. 2.

Singulare nomen horum Advocatorum occurrit in Diplomate quodam apud Wigul. HUNDIUM (c): ubi Advocatus monasticus vocatur Advocatus Granarii.

Origines harum Advocatiarum sane sunt antiquissimæ. Sic enim jam olim in Concilio Carthaginensi Canon. VI. cautum fuit: ut qui Deo serviunt, & annexi sunt Clero, ad Actus, seu administrationem vel procurationem domorum non accedant, juxta Statuta Apostolorum, quæ dicerent: Nemo militans Deo sese negotiis secularibus ingerit. Postmodum quoque in Synodo Milevitana præside D. Augustino, an. Christi 402. constitutum est Canone 16to, ut à gloriosissimis Impp. petatur, quo jubeant, judices dare peritos sibi defensores Scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum ecclesiasticarum &c. Similiter in Synodo Moguntina an. 1233. congre-

(a) Vid. Paul Wehneri *Observ. Pract. voc. Voigt.* p. 484.

(b) In *Dissert. de Advocatis & Advocatiis Germanicis Lips.* 1725. habita.

(c) In *Bayer. Stammbuch, P. I. f. 110.*

